

Apology

Plato



Qua vos ratione, o viri Athenienses, affecerint accusatores mei, nescio equidem: me certe sic affecerunt, ut mei ipsius pene oblitus fuerim, usque eo ad persuadendum accommodate dicebant; quamvis nihil, ut ita loquar, veri ad vos detulerunt. Sed ex multis quae falso asseverabant, id tum potissimum miratus sum, quod vobis cavendum esse monuerunt, ne a me quasi eloquente deciperemini. Quod enim afferere id minime erubuerunt, cuius ego mox redargutionem opere ipso facturus eram, quandoquidem in praesentia vobis appareo longe ab eloquentia alienus: hoc, inquam, mihi super omnia visum est impudentissimum, nisi forte eloquentem illi vocant veri dicentem. Si enim ita dicant, profiterer equidem me, quamvis non eorum more, rhetorem esse. Quippe cum hi, ut equidem dico, veri nihil dixerint, a me vero vera omnia audituri sitis. Neque vero, per Iovem, o viri Athenienses, fucatam a me orationem, quemadmodum ab istis, verborum nominumque elegancia, neque aliter exornatam, sed iis quae casu et fortuito occurrerint verbis contextam audietis. Confido enim me iusta dicturum; neque quicquam vestrum speret me aliter esse dicturum. Alioquin in qua aetate hanc, o viri, deceret adolescentulorum more verbis studiose formatis huc ad vos ingredi?

Quinimo vehementer, o viri Athenienses, id oro et obsecro, ut si iisdem me verbis in respondendo utentem audietis quibus et in foro apud argentariorum mensas (ubi plerique vestrum me nonnunquam audierunt) et alibi, ne admiremini, neve graviter id feratis. Sic enim res se habet: venio equidem nunc primum in iudicium, plures quam septuaginta annos natus; ex quo fit ut in eo dicendi genere quod hic usurpatur re vera sim peregrinus. Et profecto quemadmodum si peregrinus Athenas venissem, ignosceretis utique mihi peregrina voce et forma loquenti pro educationis meae consuetudine, ita et in praesentia vos precor, neque id quidem iniuria, ut loquendi formam minime attendatis (quae prout contingit tum melior tum deterior esse potest), sed id ipsum consideretis, huc mentem adhibeatis, iustane an iniusta dicam. Hoc enim iudicis officium est, rhetoris autem officium vera loqui.

Iustum est autem, o viri Athenienses, me primo quidem ad accusationem primam falso confictam et ad primos accusatores respondere, deinde ad novissimam atque novissimos. Me quippe multi iam multis annis falso apud vos accusarunt, quos equidem magis formido quam Anyti astipulatores, quanquam et hi sunt in persuadendo potentes. Sed potentiores, o viri, qui plerosque vestrum a pueritia occuparunt, accusantes me procul a veritate,

atque vobis persuadentes esse videlicet Socratem quendam sapientem, eorum quae super aerem quaeque sub terra fiunt perscrutatorem, qui deteriorem causam disserendo meliorem efficere doceat: hi profecto, o viri Athenienses, qui hunc de me rumore divulgaverunt, mei accusatores potentissimi sunt. Qui enim haec audiunt, opinantur harum rerum perscrutatores ne deos quidem esse credere. Profecto accusatores huiusmodi et permulti sunt, et longo iam tempore me accusant, et in ea aetate vobis suadent in qua plerique vestrum pueri aut certe adolescentuli perfacile credidistis, deserta in causa, nemine me defendente.

Quodque id quod a defensionis ratione omnium alienissimum est, neque nomina quidem illorum scire licet atque proferre, praeterquam si quis illorum comoedus sit. Quotcunque vero per invidiam et calumniam haec vobis rursus persuaserunt, quique ipsi persuasi persuaserunt aliis, hi omnes infiniti omnino sunt, nec eorum quenquam in iudicium traducere nec redarguere licet, sed necesse est adversus istos tanquam in tenebris pugnare defendendo atque refellendo, nemine respondente. Existimate ergo et vos, quemadmodum dicebam, accusatores meos duplices extitisse, et qui nuper accusarunt et qui iamdiu, quales modo describebam; atque iudicate me quidem oportere prius respondere illis quos et ipsi prius multoque magis audivistis. Age, respondendum mihi est, o viri Athenienses, illis criminibus, conandumque in hoc tam brevi tempore opinionem istam eximere, quam vos per calumnias decepti longo iam tempore contra me concepistis. Opto autem ita demum adversarios refellere atque obtinere, si modo id vobis et mihi melius sit futurum. Quanquam difficile id fore arbitror, neque admodum quale id sit me latet. Verum, ut Deo placet, ita succedat. Nos autem legi parere oportet, ac defensionem pro nobis afferre.

Repetamus igitur ab initio quae sit accusatio, ex qua adversus me nata est illa calumnia qua confisus Melitus mihi diem dixit. Quid ergo aiunt accusatores mei? tanquam si in iudicio adessent, eorum recitetur accusatio a qua calumnia iurarunt. Socrates iniuste agit, atque nimium curiose perquirat quae sub terra et quae in caelo sunt, inferioremque causam reddit superiorem, praeterea alios eadem docet. Talis utique est accusatio. Nempe talia quaedam et vos vidistis in Aristophanis comoedia: Socratis enim illic persona circunducitur, affirmans se per aerem pervagari, et complures eiusmodi nugas. Quarum ego rerum neque multum neque parum quicquam scio. Neque haec dico quasi harum rerum

scientiam parvi faciam, si quis in huiusmodi rebus sit sapiens, quo minus tanti criminis reus a Melito accuser; sed quia re vera, o viri Athenienses, horum nihil scio. Testes autem huius plerosque vestrum adduco. Oro vos docere et exponere invicem velitis, quotquot me colloquentem aliquando audivistis (audivistis autem plerique vestrum): recensete igitur invicem, num quis vestrum aliquando iis de rebus quicquam, sive multum sive parum, audiverit disputantem; atque ex hoc denique cognoscetis eiusmodi esse cetera quae multi de me circumferunt. Verum enim horum nihil est verum.

Quinetiam si a quopiam audistis me homines docere atque inde pecuniam facere, ne id quidem verum est. Atqui praeclarum id mihi videtur, si quis docere homines possit, quemadmodum Gorgias Leontinus et Prodicus Chius et Hippias Eleus. Quorum unusquisque, o viri, eam facultatem habet per quam, ad singulas profecti civitates, adolescentibus quibus liceret in patria suorum civium disciplinis gratuito commendari, persuadent ut, illorum disciplina relicta, se sectentur, ac data pecunia gratiam insuper habeant. Est et alius quidam vir hic sapiens Parius, quem ego huc venisse audiui: contigit enim ut in eum aliquando inciderem qui plus pecuniarum in Sophistas expendit quam ceteri omnes, Calliam inquam, Hipponici filium. Hunc ergo interrogavi (duos enim habet filios): O Callia, inquam, si filii tui pulli equini aut taurini essent, haberemus aliquem quem eis mercede adhibita praeficeremus, qui eos pulchros et bonos efficeret; essetque is vel equestrium aliquis aut agricolarum: nunc vero, cum filii tui homines sint, quemnam eis adhibere cogitas? quis humanae civilisque virtutis scientiam habet? Arbitror id te considerasse, cum filios habeas. Estne aliquis, inquam, an non? Est profecto, inquit ille. Quis, inquam, est? et unde? et quanti docet? Evenus, inquit, o Socrates, Parius, quinque minis. Atque ego Evenum felicem iudicavi, si re vera hanc artem habet et tam modico docet. Ipse quoque, si talia scirem, admodum gloriarer et magni me facerem. Sed certo, o viri Athenienses, haec equidem nescio.

Requirat igitur forsitan aliquis: Quidnam, o Socrates, tuum est opus? et unde adversus te exortae sunt hae calumniae? Nisi enim aliquid praeter aliorum consuetudinem ageres, nunquam tantus de te rumor concitatus esset. Nam unde de te sermo tam frequens, nisi egisses aliquid a ceteris alienum? Dic ergo nobis quidnam id sit, ne nos de te temere aliquid iudicemus. Iusta sane haec mihi videtur interrogatio; atque ego vobis conabor ostendere quidnam id sit quod mihi et nomen hoc et calumniam pepererit. Sed audite: et si vereor ne

forte quibusdam vestrum iocari videar, veruntamen existimate me vobis vera omnino dicturum. Equidem, o viri Athenienses, non ob aliud certe quam ob sapientiam quandam eiusmodi nomen nactus sum. Sed ob quam sapientiam? Forte ob eam quae humana sapientia est. Nam hac re vera sapiens esse videor. Illi vero quos paulo ante commemorabam maiore forte quandam humana sapientiam habent, vel quid dicam non habeo: neque enim ego ea praeditus sum. Quod si quis me hanc possidere dicat, mentitur et in meam calumniam haec dicit.

Sed ne vobis molestus sim, o viri Athenienses, neve commoveamini si quid vobis magnum dicere videar, neque ex me duntaxat dicam, sed testem vobis afferam fide dignum. Profecto si qua mihi est sapientia, qualis ea sit, testem adhibebo vobis Delphicum deum. Chaerephontem certe novistis. Ille familiaris mihi erat ab iuventute et Atheniensi populo amicus; ac una vobiscum fugit et una in urbem reversus est. Novistis plane qualis erat Chaerephon, quam vehemens quamcunque ad rem se convertisset. Hic ergo quandoque profectus in Delphos vaticinium id experiri ausus est (ne graviter feratis, o viri, quod in praesentia sum dicturus), interrogavit utique an esset ullus me sapientior. Respondit Pythia sapientiore esse neminem. De his quidem ipsius hic frater vobis testificabitur, nam ipse Chaerephon vita functus est. Considerate vero quorum gratia haec dicam: debeo enim vobis aperire unde haec adversum me calumnia sit exorta. Profecto cum hoc audissem, ita mecum ipse reputavi: Quidnam Deus ait? aut quidnam significat? Ego enim mihi conscius sum neque in magnis neque in parvis esse me sapientem. Quid igitur sibi vult, cum me asserit sapientissimum? Deum quidem mentiri non est credendum, neque enim id fas est Deo. Atque ita diu ambigens scrutabar quid oraculum innuisset. Ac vix tandem post longas ambages viam eiusmodi inveni.

Aggressus enim quendam ex his qui sapientes videntur, sperans, si usquam, in hoc vaticinium coargui posse oraculoque ostendi non me quidem, quem praedicarat, sed illum esse sapientia praefendum; dum ergo illum examinarem (huius vero nomen promere non est necessarium, erat autem quidam ex his qui in republica versantur), illum, inquam, dum examinarem unaque dissererem, o viri Athenienses, in hunc modum affectus sum: visus mihi est vir ille videri quidem sapiens tum aliis tum vel maxime sibi ipsi, esse vero nequaquam; deinde conatus sum illi ostendere putare quidem eum se esse

sapientem sed minime esse. Quapropter et ille infensus mihi redditus est, et multi qui aderant graviter id tulerunt. Itaque ad meipsum reversus ita mecum ipse reputavi: Ego profecto sum hoc homine sapientior. Apparet enim neutrum nostrum pulchrum bonumque aliquid nosse: sed hoc interest, quod hic quidem cum sciat nihil scire putat aliquid, ego vero quemadmodum nescio ita nescire me puto. Videor ergo in hac tatula re hoc homine sapientior esse, quod quae ignoro neque scire arbitror. Post haec alium adii ex his qui illo insuper sapientiores habentur, in eoque considerando omnino similiter iudicavi, atque illum aliosque multos mihi reddidi infensos.

Proinde similiter deinceps processi ad alios, non ignorans quantum adversus me odium concitarem, ideoque non absque dolore quodam timoreque procedebam. Veruntamen necessarium mihi visum est oraculum divinum omnibus anteferre, passimque ingredi perscrutaturum quid sibi velit oraculum, huiusque gratia omnes quotcunque aliquid scire videntur adire. Et per Canem, o viri Athenienses (oportet enim vobis vera fateri), tale aliquid mihi contigit haec ex divino oraculo perquirenti: ut qui opinione hominum maxime probabantur, eos quasi omnium imprudentissimos invenirem, qui vero inferiores habebantur eos quantum ad prudentiam spectat probabiliores se habere. Operaepretium est referre vobis errores laboresque meos, quos equidem propterea sustinui dum a me oraculum adeo probaretur ut redargui iam deinde non posset. Post homines qui in republica versantur ad poetas me contuli, tragoediarum dithyramborumque aliorumque carminum autores, quasi perspicue admodum deprehensurus esse me his rudiozem. Sumens igitur eorum poemata quae mihi videbantur esse elaboratissima, sciscitatus sum eorum sensa, ut nonnihil ab ipsis perdiscerem. Pudet equidem, o viri, vobis vera dicere; attamen dicendum: omnes fere qui aderant melius de his poematibus quam ipsi qui ea fecerant disserebant. Cognovi igitur brevi id in poetis, eos videlicet non sapientia facere quae faciunt, sed natura quadam atque afflatu, quemadmodum et vates et qui divino furore afflati vaticinantur. Nam et hi multa quidem et praeclara dicunt, nihil tamen eorum intelligunt quae dicunt. Tali quodam pacto poetae affecti fuisse mihi visi sunt; simulque animadverti eos propter poesim existimare se sapientissimos esse etiam in ceteris, in quibus non sunt sapientes.

Abii ergo et hinc, eadem omnino sententia qua et a politicis viris abieram. Tandem vero me ad artifices contuli, utpote bene mihi conscius quam nihil

istic, ut ita dicam, scirem; hos autem noveram multa et pulchra scire, neque in hoc equidem deceptus sum. Sciebant enim quae ipse nesciebam, et hac in parte me sapientiores erant. Sed, o viri Athenienses, in eodem errore quo et poetas peritos artifices deprehendi: nam ex hoc ipso quod sua rite perficiebant, unusquisque eorum se in ceteris quoque vel maximis sapientissimum esse putabat; atque hic error illam quoque quae ipsis inerat sapientiam offundebat. Quamobrem, si meipsum oraculi loco interrogarem, utrum eligerem itane me habere ut habeo, videlicet neque scientem quae illi sciunt neque meam inscitiam ignorantem, an utraque habentem quae illi habent: plane mihi ipsi simul atque oraculo responderem praestare ita ut habeo me habere. Ob hanc utique inquisitionem meam, o viri Athenienses, inimicitiae multae difficillimae atque gravissimae adversus me coortae sunt, ex quibus multae sunt calumniae consecutae. Nomen vero sapientis mihi propterea exortum est, quod praesentes plurimum ea me putant scire in quibus alios refello.

Videtur autem, o viri Athenienses, re vera solus deus sapiens esse, atque in hoc oraculo id sibi velle, humanam videlicet sapientiam parvi, immo nihili pendendam esse. Quod vero Socratem nominat, sapientem ob id facere, quo nomine meo tanquam exemplo quodam utens, quasi sic dicat: Is, o viri, sapientissimus est, qui quemadmodum Socrates novit re vera sapientiam suam esse nihili pendendam. Haec igitur ergo sic affectus, et nunc perquirere passim deo obsecutus, et perscrutari non desino, conveniens quemcunque aut civium aut peregrinorum esse existimo sapientem; ac si quando mihi ille talis non videatur, tunc ipse suffragans deo atque obsequens illum sapientem non esse demonstro. Atque ob occupationes eiusmodi nullum mihi ferme relinquitur otium vel ad publicum aliquid commemoratu dignum agendum vel privatim, sed in extrema paupertate ob Dei cultum sum constitutus.

Praeterea adolescentes maxime opulenti, quive a negotiis vacant, me ultro sequentes delectant, cum refelli a nobis homines spectant; quinetiam ipsi nonnunquam me imitati alios deinde confutare contendunt. Qua quidem in re plurimam reperiunt turbam hominum aliquid se scire putantium, cum aut nihil sciant aut perparum. Qui vero ab his convincuntur, non tam illis quam mihi redduntur infensi, clamantque esse Socratem quendam sceleratissimum iuventutisque corruptorem. At si quis ab eis sciscitetur quidnam vel agendo vel docendo corrumpat, nihil quidem significare possunt, immo prorsus ignorant; sed ne deesse illis materia videatur, ad ista confugiunt quae communi

voce facile philosophantibus obiici solent: quod scilicet ea quae in aere sunt curent et quae item sub terra; Deos vero non credant, et malam causam bonam esse persuadeant. Vera enim, ut puto, fateri nolunt, se scilicet manifesto deprehensos, dum convicti fuerint, simulare se illa scire quae nesciunt. Utpote igitur ambitiosi et vehementes et multi, ac velut ex composito atque obnixè diligentissimeque persuasionis studio me criminantes, vestras aures impleverunt, et iamdiu et nuper calumniis in me sedulo confictis.

Ex his autem Melitus et Anytus et Lycon contra me surrexerunt: Melitus quidem pro poetis mihi infestus, Anytus vero ob artifices atque reipublicae gubernatores, Lycon denique gratia rhetorum. Quamobrem, sicut admodum ab initio dicebam, admirarer equidem si opinionem tam tantis conceptam calumniis, tam inveteratam, nunc in tam brevi tempore amovere a vobis possem. Haec equidem, o viri Athenienses, vera vobis loquor, neque celo neque subterfugio, aut magnum quicquam aut parvum, quamvis ferme norim in his dicendis me eisdem fore molestum. Quod quidem argumentum vobis est me vera loqui, atque hanc esse calumniam contra me coortam eiusque causas eiusmodi esse. Et sive in praesentia sive in posterum haec inquiretis, ita esse invenietis. Ad illa igitur quae primi accusatores detulerunt haec mihi sufficiens apud vos sit defensio. Ad Melitum vero bonum, et ut ipse ait patriae amatorem, reliquosque accusatores deinceps respondere conabor.

Ac rursus tanquam alii quidam accusatores sint, accusatione iuramenti calumniae vitandae gratia praestito suscepta in medium adducamus. Habet vero in hunc fere modum: Socrates iniuste agit, iuventutem depravans, ac Deos quos civitas putat ipse non putans, sed alia quaedam nova daemonia. Accusatio quidem est eiusmodi: huius autem accusationis unanquamque partem discutiamus. Iuvenes depravare me obiicit, atque in hoc iniuriam facere; ego vero, o viri, dico Melitum iniuriam facere, quod serio iocatur, tam facile homines in iudicium adducens, simulans serio se anxium sollicitumque esse atque curam gerere earum rerum quae ipsi nunquam curae fuerunt. Hoc autem ita esse conabor vobis ostendere. Dic mihi, o Melite, nonne plurimi facis quam optimi adolescentes evadant? Curo equidem. Age ergo, dic his quisnam eos efficiat meliores: liquet enim scire te, cum tibi id curae sit. Nam corruptorem eorum invenisti, ut ais, meque in iudicium ob id deducis et accusas; eum vero qui efficit meliores dic his, et quisnam sit ostende. Vides, o

Melite, quod siles, neque habes quid dicas? Atqui nonne turpe id tibi videtur esse, ac sufficiens argumentum eius quod a me dicebatur, nullam tibi unquam iuventutis curam fuisse?

Sed dic, o vir optime: quis homo qui et primum ipsum norit, leges scilicet, quibus illi meliores fiant? Hi, o Socrates, iudices. Quid vero, o Melite? istine erudire iuvenes possunt, bonosque reddere? Et maxime quidem. Utrum omnes, an alii quidem possunt, alii vero nequaquam? Omnes. Bene per Iunonem loqueris, magnam eorum qui prosint iuvenibus copiam. Verum quidnam? hi qui audiunt, faciuntne et ipsi meliores, an non? Ipsi quoque. Quid vero senatores? Et senatores. Sed enim, o Melite, cavendum est ne concionatores forte adolescentes corrumpant; an vero et hi omnes similiter faciunt meliores? Hi quoque. Omnes igitur, ut videtur, Athenienses honestos bonosque reddunt praeter unum me: ego enim corrumpo solus. Itane ais? Ita certe, et quidem vehementer. Magna tu quidem me damnas infelicitate. Proinde mihi responde: an et de equis idem putas, omnes scilicet homines equos bonos efficere, unum vero duntaxat esse qui eos corrumpat? An omnino contra, unum esse vel certe perpauco equitandi peritos reddere meliores equos, quamplurimos autem esse qui, si inter equos versentur illisque utantur, depravant? Nonne ita se res habet, o Melite, et de equis et de ceteris omnibus animantibus? Penitus ita, sive tu et Anytus non confiteamini sive confiteamini. Etenim permagnam iuvenes nacti essent felicitatem si unus duntaxat eos posset pervertere, ceteri vero omnes prodessent.

Ceterum, o Melite, satis demonstras te nullam iuventutis curam habuisse unquam, ac plane declaras incuriam tuam téque nunquam meditatam fuisse ea de quibus me accusas. Praeterea obsecro te per Iovem, o Melite, responde nobis: utrum melius versari possumus inter bonos cives, an inter malos? Responde, amice: nihil enim difficile te rogo. Nonne mali semper mali aliquid agunt his quibus conversantur, boni autem bonum? Proculdubio. Estne ullus qui detrimentum suscipere potius quam emolumentum velit ab his quibus familiariter utitur? Responde, o bone vir: lex enim respondere te iubet. Estne quisquam qui damnum pati velit? Nullus. Age ergo, tu me huc in iudicium vocas quasi iuventutis depravatorem: an dicis me id volentem facere, vel nolentem? Equidem volentem dico. Nunquid tu, o Melite, longe minor natu usque adeo me grandiore sapientior es, ut plane cognoscas tu quidem malos obesse familiaribus, bonos vero prodesse; ego autem in tantam insaniam

prolapsus sim, ut neque id cognoscam (siquidem ex familiaribus pravum reddidero, periclitaturum me ne quid ab eo mali patiar), atque hoc tantum mihi ipsi malum, ut ais, volens inferam? Haec equidem tibi, o Melite, non credo, arbitrorque quoque neminem tibi alium concessurum. Sed aut non depravo adolescentes, vel si depravo invitus facio: quapropter tu in utroque mentiris.

At si invitus corrumpo, non huc in iudicium involuntaria delicta lex trahi iubet, sed privatim doceri atque admoneri. Constat enim si didicero, non amplius me id facturum quod per ignorantiam faciebam. Tu autem familiariter me commonere noluisti, sed in iudicium rapis, quo eos trahi lex iubet qui poena indigeant potius quam disciplina. Iam vero ex his manifestum est, o viri Athenienses, quod modo dicebam, nullam huic Melito aut magnam aut parvam erudiendae iuventutis curam fuisse. Veruntamen dic nobis qua ratione me asseras, o Melite, pervertere iuventutem. An videlicet quemadmodum in accusatione scripsisti, quia doceam non putare Deos quos civitas putat, sed alia quaedam nova daemonia? An non in his docendis affirmas iuvenes me corrumpere? Omnino quidem et vehementer haec afferro. Per Deos ipsos, o Melite, de quibus nunc nobis est sermo, apertius et mihi et his enarra. Nam ego quidem nondum plane intelligo, utrum dicas docere me iuvenes ut putent aliquos quidem Deos esse (quod si ita est, et Deos esse puto, neque omnino sum absque Deo, neque in hoc iniuste ago, quamvis non eos quos habet civitas, sed alios ego doceam), utrum, inquam, hoc est in quo me criminaris, quod alios Deos introducam; an me ais omnino negare Deos esse, rursusque ut negent alios quoque docere?

Afferro equidem omnino negare Deos. O admirabilis Melite, cur nam ista dicis? Neque solem igitur, neque lunam esse Deos credo ut homines alii? Per Iovem ita, o iudices: nam solem quidem lapidem esse dicit, lunam vero terram. Anaxagorae tu quidem, o amice Melite, accusationem te facere tibi videris; atque ita hos parvi facis, existimasque eos litterarum ignaros esse, quasi nesciant libros Anaxagorae Clazomenii eiusmodi opinionibus esse plenos. Iuvenes vero haec a me discant, quibus liceret interdum etiam, si multa sint, unius drachmae pretio ementibus ex orchestra Socratem deridere, quae sua esse fingeret, praesertim quum tam absurda sint. Sed per Deum, o Melite, putasne re vera nullum me deum existimare? Omnino negare Deos, cum vt mihi videtur etiam tibi ipsi non videatur. Mihi enim, o viri, accusationem

contumelia quadam et petulantia et iuvenili quodam aenigmate componere, tentans an Socrates sapiens deprehendat me iocantem et in iudicio contraria mihi proponentem, vel Socratem una cum auditoribus ipsis decipiat. Hic enim mihi videtur in accusatione sibi ipsi contraria dicere, quasi diceret: Iniuste agit Socrates, Deos non putans, sed eos putans. Quae quidem iocantis et facete cavillantis nugae esse videntur.

Animadvertite, o viri, quo pacto Melitus mihi videatur haec dicere; tu vero responde nobis, o Melite. Vos autem id a initio oravi, ne aegre feratis si pro more meo verba facio. Estne quisquam, o Melite, qui humana quidem esse putet, homines vero esse non putet? Respondeat mihi, o viri, neque in his modo perturbet. Estne aliquis qui equos quidem non putet esse, equestria vero esse? sive tibicines quidem non esse, sed tibicinaria esse? Non est, o vir optime: ego enim pro te et tibi et his respondeo, siquidem ipse non vis respondere. Sed ad hoc saltem, quod magis ad rem pertinet, responde: an est quisquam qui daemonum quidem opera opinetur esse, daemones autem minime? Nullus. Quam tarde et vix respondisti ab his coactus! Nonne igitur daemonum opera confiteris me et putare et docere, sive nova sive antiqua sint? Omnino enim ut confiteris daemonum opera, atque haec quidem in responsione iurabo. Quod si daemones puto, necessarium est omnino putare me daemones quoque esse: an non ita se res habet? Ita certe.

Pono enim te confiteri, quandoquidem respondere non vis. Daemones autem nonne aut deos arbitramur esse aut Deorum filios? Fateris ne hoc, an non? Prorsus. Nonne si daemones arbitror, ut ipse concedis, daemonesque Dii quidam sunt, id evenit quod modo dicebam aenigma te oponere et ludere ac nugari, dicendo me Deos non existimare, et Deos tamen rursus existimare, quandoquidem daemones esse puto? Rursus si daemones Deorum filii sint (spurii videlicet quidam ex nymphis aut ex aliis quibusdam, ut fertur), quisnam hominum filios quidem Deorum esse putet, Deos vero neget? Perinde enim id absurdum foret ac si quis equorum quidem filios vel asinorum, mulos esse putet, equos autem et asinos esse non putet. Sed, o Melite, videris proculdubio accusationem istam idcirco instituisse, vel ut ingenii nostri periculum faceres, vel quia non veri me criminis accusares, nihil habens. Tu vero quam ratione persuaderes alicui vel minimum quidem mentis habenti, non esse eiusdem viri daemonia simul et divina putare, ac rursus eiusdem neque daemones neque Deos neque heroas? Nulla ratione fieri

id potest.

Ceterum, o viri Athenienses, quod quidem ego non deliquerim quemadmodum Melitus accusat, haud magna mihi purgatione opus esse videtur, sed ea quae dicta sunt sufficere iudico. Quod autem ab initio dixi, malevolentiam plurimam esse contra me apud plurimos concitatum, id profecto verissimum est, et hoc me perimet, si quidem perimar, non Melitus neque Anytus, sed multorum calumnia et invidia. Quae quidem alios quoque multos viros bonos peremit, et ut arbitror perimet: nihil enim grave, vel mirum, si in me obesse non desinat. Forsitan vero ita me quispiam interrogabit: Nonne te pudet, Socrates, tale quiddam exercere, ex quo continuo in periculum venias moriendi? Equidem huic obiectioni iuxta hac responsione dabo: Haud recte, o vir, loqueris, si putas magna aut vitae aut mortis habenda esse ratione hominem cuius parva quaedam utilitas sit, ac illud potius duntaxat considerandum quoties aliquid agit, utrum iusta agat an iniusta, aut boni viri opera sive mala.

Alioquin ex hac ratione tua spernendi essent semidei omnes quotcunque apud Troiam occubuerunt, et alii, et in primis ipse Thetidis filius, qui usque adeo matris compsit periculum, ne turpe subiret infamiam, ut, cum sibi Dea mater properanti ad Hectorem occidendum praedixisset, his fere, ut arbitror, verbis: O fili, si pro vindicta Patrocli amici tui Hectore interfecti Hectorem interfeceris, ipse peribis (inquit enim: Subito post Hectorem infelix tibi fors imminet): cum inde iam ab ea haec accepisset, usque adeo discrimen mortemque contempsit, ut multo magis timuerit turpem vitam amicorum ultis iniuriis quam mortem, statimque respondisse: Mori, inquit, mox malim, pro iusta amici vindicta, quam moras trahentem apud naves ridiculum vivere, telluris inutile pondus. Hunc ergo periculi mortisque curam habuisse, quisnam dixerit? Et profecto ita res se habet, o viri Athenienses. Quo quisque in loco vel seipsum constituit ratus id optimum esse, vel a superiore iubetur, consistere, ut mihi videtur, permanere oportet, periculumque subire, neque mortem neque aliud quicquam magis quam turpitudinem formidante.

Equidem, o viri Athenienses, graviter aberraverim, si, cum illis paruerim praefectis quos ipsi mihi praeposuistis, in Potidaea et in Amphipoli et in Delio, tunc enim ubi illi consistere iusserunt ibi constitui, ut quisquam alter, mortisque crimen subivi; ubi Deus me posuit, permanerque voluit, opinatus sum atque existimavi videlicet philosophantem me agere oportere, ac me

ipsum aliosque examinare, tunc, videlicet oraculo aut parente aut morte timente, vel mortis ordinem desererem. Pergrave, inquam, id esset delictum; et tunc videlicet aliquis iuste me in iudicium adducere posset, quod Deos non putem, neque oraculo paream, mortemque timeam, et sapientem me esse putem cum non sim. Mortem enim timere, o viri, nihil est aliud quam sapientem videri cum quis non sit: videri enim scire id quod nescit. Mors enim summum bonorum omnium fortasse hominibus est; et tamen ita timetur quasi certo sciatur summum malorum esse. Quod ipsum nonne incitia est ea quae omnium turpissima, opinari scire quae nesciamus?

Ego autem, o viri, in hoc forsitan a multis hominibus differo; ac si qua in re sapientiore me aliquo esse dicerem, in hac utique dicerem, quod cum haud sufficienter quae sint apud inferos norim, similiter me non nosse cognosco. Iniurias autem inferre superiorique non obedire, vel Deo vel homini, malum turpeque esse scio. Haec igitur quae nescio, quae nunquam mala esse cognosco, magis timebo atque fugiam quam illa quae mala esse cognoscam. Quamobrem, si me nunc absolvatis non credentes Anyto, qui dixit aut me in iudicium ab initio vocandum non esse, aut, postquam vocatus sim, necessario esse damnandum (nam si a vobis absolverer, fore ut filii vestri Socratis secuti disciplinam omnes omnino corrumperentur); si inquam ad haec vos dicatis: O Socrates, Anyto non credimus, téque sententiis nostris absolvimus, hac tamen conditione, ut nunquam posthac in hac inquisitione philosophiaque verseris, ac si te facere deprehendere, moriturus sis: si igitur, ut dicebam, his conditionibus dimittere me velitis, respondebo utique vobis:

O viri Athenienses, complector quidem vos atque amo; Deo tamen parere malo quam vobis, et quandiu spirabo viresque suppetent, philosophari non desinam, exhortans et docens quemcunque nactus fuero, sicut soleo, hunc in modum: Quid tu, o vir optime, cum civis sis Atheniensis, civitatis amplissimae ac sapientia et potentia praestantissimae, non erubescis in eo omne ponere, quo pecuniae et gloriae et honoris quam plurimum sit, ut autem prudentia et veritas et optimus animi habitus in te sit, neque cogitas neque curas? Ac si quis vestrum mecum contendat et se id curare asseverat, haud statim dimittam illum, neque cedam, sed sciscitabor, examinabo, redarguam. Quod si non videatur possidere virtutem, attamen profiteri, obiurgabo quod ea quae plurimi pretii sunt nihili pendat, vilissima vero plurimi faciat. Hoc equidem officium praestabo iuniori et seniori cuicunque nactus fuero, rursusque

peregrino et civi, magis autem civibus, quanto mihi genere propinquiore estis. Hoc enim Deus ipse iubet.

Reor autem quod et vos latere non debet, nullum adhuc bonum vobis in hac urbe maius contigisse quam hoc meum ministerium, quod Deo parens exerceo. Nihil enim aliud agens circumeo quam suadens iunioribus senioribusque vestrum, neque corporum neque pecuniarum curam, neque aliarum omnino rerum curam prius vehementiusque quam animi habendam esse, ut quam optimus sit; docens non ex pecuniis virtutem, sed ex virtute pecunias aliaque bona omnia et privatim et publice hominibus provenire. Si igitur haec docens perverto iuvenes, essent certe perniciose; si quis dicat me alia quam haec docere, nihil dicit. Horum gratia, o viri Athenienses, profiteor equidem, sive credatis Anyto sive non credatis, sive dimiseritis me sive non dimiseritis, non profiteor me nihil aliud esse facturum, nec si mihi sit plura moriendum. Ne conturbemini, o viri Athenienses, sed quae a me ab initio rogavi me aequo animo audiat: erit enim vobis, ut arbitror, utile, si quae sum dicturus audietis.

Equidem vobis alia nonnulla dicturus sum, quae audientes forsitan ad clamorem in praesentia provocemini: verum ne hoc committite. Scitote enim me, si occideritis talem qualem vobis modo dicebam, non magis laesuros esse vos quam vos ipsos. Me quidem neque Melitus neque Anytus unquam laedet: neque enim posset. Sicuti enim nefas est, ut arbitror, meliorem viro a deteriore laedi. Interficere tamen potest vel pellere, vel contumelia quadam afficere: atque haec iste quidem et alius aliquis ingentia putet esse mala; ego vero non puto, sed multo peius esse illa facere quae nunc iste facit, aggrediens iniuste virum occidere. Quamobrem, o viri Athenienses, non tam mihi nunc opus est defensione (ut aliquis existimaret) quam vobis: ne in me ipso peccetis, contra id munus quod Deus vobis tribuit, me condemnantes. Si enim me interfeceritis, haud facile alium talem reperietis, qui plane (etsi forte id dictu ridiculum est) civitati vestrae a Deo adhibitus sim, velut equo cuidam magno et generoso, sed ipsa mole pigriori atque calcaribus excitari indigenti: qualem videtur me Deus civitati addidisse, qui excitans et monens et obiurgans non cesso die tota ubique vobis assistere.

Talem vero alterum non facile nanciscemini, o viri Athenienses. Ergo si mihi credideritis, me vestris sententiis absolvetis. At vero si forte, dormitantium more graviter ferentes, me, ut vult Anytus, temere ac leviter occideritis,

reliquum omne tempus dormietis, nisi forsitan Deus vobis prospiciens alium quendam miserit. Me vero esse talem qualem dicam, qui a Deo civitati tributus fuisse videar, hinc potestis animadvertere. Non humanum certe id esse videtur, quod ego mea quidem omnia omnino neglexerim, atque in hac rei familiaris negligentia tot annos iam perseverem, vestro semper intentus bono, dum singulos adeo tanquam pater aut frater natu maior aggrediens ad virtutem excitarem. Et si quidem ex hoc aliquid commodi caperem, mercedemque reciperem, humanam quandam id ratione facerem: nunc autem vos ipsi videtis, accusatores isti, qui tam impudenter cetera in me coorti sunt, hoc tamen impudentissime adhibere non potuisse, ut testem aliquem proferrent me unquam vel mercedem pertentasse vel petiisse. Sufficientem enim, ut arbitror, testem affero paupertatem meam.

Forsitan vero absurdum videatur quod privatim quidem singulis consulendis anxie nimis circumeam, publice vero in concionibus ausim non fuisse hoc idem civitati consulere. Huius autem rei causa est ea de qua saepe me passim dicentem audivistis: divinum videlicet quiddam atque daemonicum mihi adesse, scilicet quaedam mihi quidem ab ipsa pueritia vox adest, quae quoties fit, me prohibet agere quod acturus eram, provocat vero nunquam. Hoc, inquam, est quod mihi repugnet quo minus me ad publica conferam; et recte admodum mihi adversari videtur. Constat enim, o viri Athenienses, si quondam negotia publica aggressus fuisset, iamdiu mihi fuisse pereundum, itaque nullam vel vobis vel mihi attulissem utilitatem. Ne mihi succenseatis, oro, vera dicenti: nemo enim diu salvus esse potest, si aut vestro aut alteri cuiquam populo ingenue ac fortiter adversatur, quo multa iniusta atque iniqua quae fieri solent in civitate prohibeat. Sed necesse est eum qui re vera pro iustitia pugnat, si modo brevi salvus futurus sit, privatim degere, neque rempublicam attingere.

Horum equidem magna vobis afferam argumenta, non verba quidem, sed (quod vos multi facitis) facta. Audite iam quae mihi contigerint, ut planius perspiciatis, nulli me quicquam contra iustitiam ob mortis metum concessurum esse atque non concedentem simul fuisse periturum. Referam vobis equidem molesta quaedam atque iudicialia, vera tamen. Ego enim, o viri Athenienses, nullo dum publico functus sum munere, nisi quod ad consilium sum electus. Contigit autem tribum meam Antiocheam eo tempore praesidere, quo vos decem illos exercitus duces, quia navali pugna interemptos

non sustulissent, damnare simul omnes properastis, iniuste quidem, ut cunctis postea notum fuit. Tunc ego solus ex omnibus prytanibus me vobis opposui, nequid ageretur praeter leges, meisque suffragiis restiti. Quo in tempore, cum oratores multi parati essent deferre meum nomen atque in iudicium trahere, vosque ipsi ingenti id clamore iuberetis, existimavi oportere me magis pro lege atque iustitia subire periculum quam vobiscum sentire, non sentientibus iusta, ob metum carceris aut mortis.

Et haec quidem facta sunt civitate adhuc sub libertate populi constituta. Postquam vero ad paucorum potentiam deventum est, rursus triginta illi qui rempublicam occuparunt, vocantes me una cum aliis quatuor in Tholum, iusserunt Leontem ex Salamine adducere quo ille necaretur; qualia videlicet multa illi et aliis multis eo tempore mandabant, ut complures criminationibus suis involverent. Tunc ego non verbis quidem, sed re ipsa rursus ostendi, nihil omnino (quamvis dictu rusticius id videatur) curare mortem, illud vero omnino curare nequid iniustum néve impium facerem. Me vero potestas illa terribilis nequaquam ita conterruit, ut iniuste aliquid facerem. Sed ubi Tholo egressi sumus, reliqui quatuor in Salaminam profecti sunt et captum Leontem duxerunt, ego vero domum abii: ac fortassis propterea me illi interfecissent, nisi brevi eorum potestas dissoluta fuisset. Atque horum testes vobis erunt permulti.

An ergo putatis tot annos me vivere potuisse, si publica tractassem, bonique viri officio fungens iustitiae suffragatus essem, atque, ut oportet, unum id officium omnibus praetulissem? Permulum abest, o viri Athenienses, neque enim alius quisquam hominum ita se gereret, diu salvus esse potuisset. At ego per omnem vitam, si cubi publica tractavi negotia, talem me praestiti, et privatim idem, nemini unquam praeter id quod iustum est concedens, vel aliis vel horum alicui quos ii qui me criminantur meos affirmant esse discipulos. Ego autem nullius unquam praeceptor fui; sed si quis dicentem me ac tractantem audire desideravit, sive iunior sive senior, nulli unquam id negavi. Neque vero is ego sum qui, pecuniis acceptis, disputem, non vero is ego sum: sed pariter diviti atque pauperi interrogandum me praebeo, ac etiam si quis respondendo audire velit quae dico. Et si quis horum probus fiat vel non, haud iuste crimen subirem; quippe cum nulli unquam doctrinam vel adiderim ullam vel promiserim. Quod si quis dixerit privatim a me quicquam vel didicisse, vel audisse, quod nec alios omnes commune fecerim, non verum

dicit.

Sed quam de causa quidam mea consuetudine oblectantur, o viri Athenienses, audistis. Omnino verum est quod vobis supra dicebam, delectari eos contra eos qui se cum non sint existiment sapientes. Est enim ars non iniucunda: mihi vero, ut dixi, a Deo iniuncta et per vaticinia et per somnia et omni ratione quacunque mandarit agendum. Haec, o viri Athenienses, et vera sunt et facile examinatu. Nam si iuvenes quidem nunc corrumpo, alios vero iamdiu corrupti, consentaneum esset, cum ad aetatem pervenerint, si quis eorum cognosceret me sibi quondam quum essent iuvenes mali quicquam suasisse, ipsum nunc surgere, accusare, et de me supplicium sumere. Sin autem ipsi nollent, sed eorum aliquis ex propinquis, patres et fratres et alii cognati, siquid mali a me suis acceptum, nunc certe meminisse deberent, et de me supplicium sumere. Multi sane horum hic adsunt quos cerno: primum quidem Crito iste aequalis meus atque contribulis, Critobuli huius pater; deinde Lysanias Sphettius, Aeschini huius pater; praeterea Antipho Cephisius, Epigenis pater. Adsunt et alii quorum patres familiariter me usi sunt: Nicostratus Theodotidis filius, Theodoti frater (et Theodotus quidem defunctus est, ut fratrem precari non possit); et Paralus hic, Demodoci filius, cuius Theages frater erat.

Adimantus quoque, filius Aristonis, cuius frater est iste Plato; denique Aeantodorus, cuius Apollodorus hic est frater. Alios permultos referre possum, quorum vel unum aliquem praesertim in eius oratione oportuit a Melito testem produci. At vero si tunc oblitus est, nunc saltem producat, ego permittam: afferat, inquam, si quid tale habet, in medium. Sed contra omnino se rem habere comperietis, o viri Athenienses. Omnes enim, ut videtis, convenerunt libenter ad opem mihi ferendam, qui corruptis eorum necessarios detrimentumque attulisse, à Melito Anytòque accusor. Quod ipsi qui depravati sunt mihi opitularentur, nihil mirum esset; at propinqui eorum seniores, à me nunquam depravati, qua tandem ratione mihi suffragantur, nisi recta quadam et iusta? quippe cum et Melitum mentiri et me vera loqui cognoscant. Quae igitur pro defensione mea, o viri Athenienses, habeo, ferme haec sunt, et alia forte similia.

Sed forsán vestrum aliquis ad se moresque solitos se recipiens graviter ferat, quod cum in levioribus etiam in causis res multis cum lacrymis solet deprecari atque supplicare, ac filios in iudicium producere ad commiserationem

commovendam, et alios domesticorum amicorúmque permultos, ego nihil horum faciam, quamvis in extremo, ut videtur, discrimine constitutus. His ergo offensus aliquis contra me pertinacius irriteretur, atque ipsa in ira sententiam contra me ferat. Si quis ergo inter vos eius mentis est, ego tamen non censeo obsecrandum, sed hac ratione potius aequè me hunc allocuturum. Sunt et mihi, o vir optime, cognati quidam: nam, ut inquit Homerus, nec quercu vel petra, sed ex hominibus natus sum. Itaque et cognatos habeo, o viri Athenienses, et filios tres, quorum unus iam adolescens, duo autem nati parvuli. Nullum tamen eorum huc adducam supplicaturus eo pacto a vobis absolvi.

Curnam igitur nihil horum faciam? Non contumacia ulla, neque contemptu vestri, o viri Athenienses; verum vero audacter me habeam erga mortem an non, alia ratio est. Ad existimationem tum mei et vestri et civitatis totius non arbitror pertinere, ut haec faciam hac aetate, et hoc nomine quod nactus sum, sive id verum sit sive falsum. At tamen iam opinione hominum persuasum est Socratem inter multos praecipuo quodam excellere. Si ergo hi qui inter vos sapientia vel fortitudine vel quavis alia virtute praestare existimantur tales erunt, quales saepe quosdam cum de illis iudicaretur vidi, turpe nimium erit, qui cum esse alicuius pretii existimarentur, attamen in iudicio mirum in modum commiserationem studebant, quasi grave aliquid passuri, si ex hac vita decederint, perinde ac immortales essent futuri, si vos illos non occidatis: qui mihi videntur civitati dedecus afferre, propterea quod existimare peregrinorum aliquis posset, eos qui inter Athenienses virtute praestant, in magistratibus ceterisque honoribus superiores habentur, nihil a mulieribus differre.

Haec autem, o viri Athenienses, nec vos qui alicuius autoritatis esse videmini facere decet, neque etiam nos facere velitis permittere; sed hoc ipsum ostendere, vos eum multo magis damnaturos esse qui commiserationes eiusmodi introducens ridiculam reddiderit civitatem, quam illum qui quietus iudicium expectaverit. Proinde, o viri Athenienses, accedit ad ea quae de civitatis existimatione dicta sunt, quod nec iustum mihi videtur esse iudicem precari, neque precando absolvi, sed docere atque suadere. Non enim ad hoc sedet iudex, ut per gratiam concedat, sed ut iudicet secundum leges; iuravitque, se non per gratiam cuicunque libuerit gratificaturum, sed iudicaturum secundum leges. Non igitur licet vel nobis assuefacere vos

deierare, vel vobis assuefieri: neutri enim nostrum religionem feratis. Nolite ergo, o viri Athenienses, exigere talia me apud vos agere, quae neque honesta neque iusta neque sancta esse puto, et id quidem omnino, praesertim vero per Iovem, cum impietatis erga deum a Melito hoc accuser. Profecto si pergerem persuadere vobis, precandóque flectere cum iuraveritis, docere utique vos non putare deos esse, ac re vera dum pro me defensione paro, meipsum interim accusare quasi deos nequaquam existimarem.

Sed multum abest ut ita se res habeat: existimo namque esse deos, o viri Athenienses, magis quam quisquam meorum accusatorum, ac vobis Deóque permitto de me iudicare, ut mihi et vobis sit conducturum. Quod vero non graviter feram, o viri Athenienses, me a vobis esse damnatum, et alia multa faciunt, et illud in primis, quod non praeter spem id accidit, verum multo magis admiror utrorumque numerum calculorum: absolute abesse. Nunc autem, ut videtur, si tres solum calculi aliter cecidissent, evadebam. Melitum certe nunc evasisse videor; neque eum evasisse solum, sed et omnibus manifestum est, nisi surrexisset Anytus et Lycon me accusantes, mille drachmas illum fuisse pensurum, quod quintam partem calculorum non accepisset.

Capitis igitur vir iste reum me facit. Esto. Sed ego, o viri Athenienses, alius me reum existimem? An non videlicet eo quo dignus sum? Quid ergo? Quidnam dignum est pati me aut pendere, ob id quod quae didici non siluerim, sed neglexerim quaecunque multi faciunt, vulgi quaesitum, rem familiarem, imperia, potestates, ceterósque magistratus; praeterea vitaverim coniurationes quae seditiones in republica cotigerunt, arbitratus me ipsum re vera ad aequiora officia esse natum, quam ut ab his salutem meam pendere existimarem? Ad haec, inquam, me non contuli, quibus occupatus neque vobis neque mihi ipsi profuturus eram, sed uni huic officio duntaxat incubui, ut privatim ad unumquemque vestrum applicans (maxima, ut equidem existimo, afferrem utilitatem), suadens videlicet unicuique nihil ex rebus suis prius quam seipsum esse curandum, ut quam optimus prudentissimúsque evadat; nec res civitatis curandas prius quam civitatem ipsam, et aliarum rerum curam eadem ratione esse habendam.

Quid igitur cum sim talis a vobis reportare dignus sum? Bonum certe, o viri Athenienses, si modo pro dignitate re vera existimetis, ac tale quidem quale mihi conveniat. Quid igitur convenit viro egeno beneficóque, cui vacare a

ceteris occupationibus expediat, quo vos ad virtutem cohortari queat? Nullum certe est aliud praemium, o viri Athenienses, quod magis virum talem deceat, quam in Prytaneo publico sumptu nutriri, et multo quidem magis quam si quis vestrum equo aut bigis aut quadrigis Olympia vicerit. Nam ille quidem facit ut felices videamini, ego vero ut sitis. Praeterea ille nutritione non indiget, ego indigeo. Itaque si pro dignitate ac iustitia aestimari oportet, hoc me dignum existimo, alimonia scilicet publice in Prytaneo mihi exhibenda.

Forte vero haec vobis dicens, ita potius videor ut in superioribus visus sum, ubi commiserationes supplicationésque detestabar. Id autem haud tale est, o viri Athenienses, sed eiusmodi potius. Persuasum est enim mihi, ut nemini sponte iniuriam faciam, quod quidem idcirco vobis non persuadeo, quia breve tempus habuimus colloquendi. Verum, si lex talis apud vos esset qualis apud ceteros, ut videlicet in eo iudicio in quo mors poena est non una die sed pluribus de capite iudicaretur, vobis, ut arbitror, persuasissem. Nunc vero haud facile fuit in tam brevi tempore eorum calumnias magnas diluere. Cum igitur mihi persuasum sit nemini faciendam esse iniuriam, permultum abest ut mihi ipsi sim facturus, et dicam quod malo dignus sum, iudicémque ipsum meritum esse huiusmodi quippiam.

Quid ergo? nunquid veritus ne id subeam quo Melitus me dignum censet, quod equidem aio nescire me utrum bonum sit an malum, hoc vel deuitem, eligam eorum aliquid quae plane mala esse scio, atque hoc me dignum esse censebo? Utrum ergo vincula? Ecquid oportet me in carcere vitam agere, semper undecimviris servientem? Utrum pecunias solvere, atque donec solutae sint in vinculis permanere? At vero id tantundem est atque quod supra dicebam, cum mihi desit unde pecunias persoluam. An forte exilium? forte enim hoc dignus esse confebor. Nimia tamen, o viri Athenienses, me cupiditate vitae teneret, si adeo imprudens essem, ut si vos cives mei consuetudinem meam sermonésque perferre non potuistis, sed usqueadeo gravis invidiosáque vobis fuit mea consuetudo atque oratio, ut mox liberare vos ab illa iam decreveritis, alios tamen facile me putem toleraturos.

Permultum abest, o viri Athenienses. Praeclara scilicet mihi vita foret in hac aetate exulanti, et aliam ex alia civitatem permutanti, et in continua repulsa viventi. Equidem ut plane intelligo, quocunque proficiscar, audituri me sicut et hic sequentur adolescentes: ac si eos repellam, ipsi vicissim senioribus id persuadentes me repellent; sin non repellam, eorum patres et cognati ob hos

ipsos me expellent. Forsitan vero dicet aliquis: Nonne potes, o Socrates, in exilio silentium et quietem agere? At hoc omnium est difficillimum aliquibus vestrum persuadere. Sive enim respondero id esse non parere deo, propteréaque me non posse quiescere, non creditis mihi quasi per ironiam loquenti; sive dixerò id homini maximum contingere bonum, diebus videlicet singulis de virtute verba facere, atque de aliis de quibus me loquentem audistis, atque ita me ipsum aliosque scrutari, vitamque inconsideratam respuendam esse censere: haec etiam multo minus mihi credetis.

Haec vero, o viri Athenienses, ita ut dico se habent, sed haud facile persuadere possunt. Et simul nunquam malo dignati me consuevi. Quod si mihi forent pecuniae, eo me pecuniis multandum iudicassem quantum solvere possem, nihil enim inde laederer. Nunc vero non adsunt, nisi forte quantum valeo tanti aestimari vellem. Plato autem hic, o viri Athenienses, et Crito et Critobulus et Apollodorus iubent me triginta minis licere. Ipsi vero tantae pecuniae praedes erunt. Aestimo ergo tanti, praedes vero argenti huius hi vobis erunt sufficientes. Non multi temporis gratia, o viri Athenienses, existimationem comparabitis, materiámque praebebitis volentibus civitatem vituperare, quia scilicet Socratem occideritis, virum sapientem.

Dicent enim illi, licet non sim, me sapientem, qui vos vituperare volent. Si ergo breve tempus expectavissetis, absque vestra opera me contingebat mori. Videte aetatem meam, quam procul iam sit a vita, morti vero propinqua. Neque vero adversus vos omnes dico, sed adversus eos tantum qui me damnarunt. Dico etiam haec ad hoc ipsos. Forsan putatis, o viri Athenienses, in iudicio concidisse talium verborum inopia, quibus utique persuasissem vobis, si omnia facienda dicendáque putavissem, quibus a vobis absoluerer. Longe vero res aliter habet. Certe ob paupertatem damnatus sum, non verborum quidem, sed audaciae atque impudentiae, et quia tale apud vos dicere nolui, qualia vobis auditu gratissima contigissent, audientibus videlicet me deflentem atque lamentantem, et alia facientem multa atque dicentia, ut dixi, me indigna, qualia frequenter ab aliis audire consuevistis.

Sed neque ab initio censui decere ob periculum devitandum illiberale aliquid facere, neque nunc me poenitet hac defensionis ratione usum fuisse. Malo equidem tali quadam defensione frui mortem obire quam contraria superuiere. Neque enim in iudicio neque in bello vel mihi vel alteri, omnia quibus vitamus mortem sunt facienda. Nam in praeliis saepe constat

interitum vitari, si quis abiectis armis supplex ad insequentes se uertat. Alia quoque in singulis periculis machinamenta sunt, quibus interitum quis effugiat, siquen non pudeat facere quaelibet atque dicere. Sed considerate, o viri Athenienses, haud id quidem difficile esse, mortem effugere, sed multo difficilius prauitatem: velocius enim illa currit quam mors. Atqui nunc, utpote ob senectutem tardior, a tardiore captus sum, accusatores autem mei, utpote vehementes atque veloces, ab ea quae velocior est prauitate.

Et nunc quidem abeo damnatus a vobis, mortem subiturus: isti vero a veritate ipsa damnati, prauitati iniustitiaeque obnoxii. Atque ego quidem poenae acquiesco, et isti. Haec igitur fortassis sic oportebat habere, arbitrórque ea habere se mediocriter. Post haec autem vobis qui me condemnastis cupio divinare. Nam illuc me iam peruentum est, ubi solent homines divinare, quandoque mortem prope sunt.

Praedico enim equidem vobis, o viri Athenienses, si me interfeceritis, supplicium vobis statim post mortem meam esse venturum, ac per Iovem multo gravius eo quo me afficeritis. Nunc enim id egistis, putantes liberare vos quo minus rationem vitae vestrae redarguenti cuiquam reddere compellamini. Id vero contra omnino vobis acciderit: nam plures futuros arbitror qui vos redarguant, quos egomet compescebam, etsi vos id non sentiebatis; tantóque illi infestiores erunt, quanto et iuniores, ideóque vos gravius id ferent.

Profecto si putatis per interfectionem hominum a vituperatione vos absolvere, nimium aberratis. Non enim est haec ratio vel valida satis vel honesta: sed illa tam facilis quam optima est, non disturbare quidem alios, sed seipsum comparare ut quam optimus evadat. Haec ergo vobis qui me condemnastis vaticinatus, finem facio. Vos autem qui me absoluistis, libenter de huiusmodi re quae contigit verba facerem, quamdiu magistratus negotio distinentur, necdum eo vado vbi oportet mori. Sed, o viri, assistite mihi id tempus. Nihil enim prohibet, invicem (dum licet) confabulari. Nempe vobis tanquam amicis demonstrare volo quod mihi modo accidit, quidnam menti significet. Mihi quidem, o iudices (vos enim iudices recte appellare possum), mirabile quiddam contigit. Vox enim illa daemonis vaticinatrix mihi semper in superiore tempore frequenter omnino offerre se consuevit, et in rebus quidem levissimis se opponens, siquid minus recte facturum forem; nunc autem ea mihi quae videtis acciderunt, quae profecto putaret aliquis atque existimaret extrema esse malorum.

Sed mihi neque domo exeunti, mane dei signum adversatum est; neque hoc suggestum in quo causam dico ascendenti; neque in aliqua sermonis parte, dum verba faciebam, quamvis alias frequenter dum loquerer in medio sermonis cursu cohibere consuevit. Nunc autem in hac re nusquam vel agentis vel loquentis est adversatum. Quam vero huius rei causam esse existimem, vobis aperiam. Apparet enim mihi quod contigit bonum esse, nec recte vllo modo iudicatur a nobis quicunque mortem opinamur esse malam. Cuius quidem rei magna apud me haec est coniectura, quod signum mihi ut consuevit repugnasset, nisi bonum quid acturus fuisset. Cogitemus autem hoc pacto possumus: spem multam esse id esse bonum. Mors enim necesse est sit alterum e duobus: ut aut sensus omnino auferatur, ita ut nihil quicquam sentiat is qui mortuus est; aut, ut aiunt, commutatio quaedam sit animae et migratio ex his locis in alium locum.

Quamobrem, sive sensus extinguitur, morsque ei somno similis est, qui nonnunquam etiam sine visis somniorum placatissimam quietem affert: dii boni, lucrum quale tanta transigit quiete, ut ne insomnium quidem quenquam regem aliquas numerare posse. Si ergo tale quiddam est mors, lucrum esse equidem dico. Etenim nihil plus hoc pacto tempus quam nox una videtur. Sin vera sunt quae dicunt, migrationem esse mortem in eas oras quas qui e vita excesserunt incolunt, id multo iam beatius est: cum ab iis qui se iudicum numero haberi volunt evaseris, ad eos venire qui vere iudices appellantur, Minoem, Rhadamanthum, Aeacum, Triptolemum, aliósque quotcunque semidei iuste vixerunt, haec peregrinatio mediocris vobis videri potest? Ut vero colloqui cum Orpheo, Musaeo, Hesiodo, Homero liceat, quanti tandem aestimatis? Equidem saepe mori, si fieri posset, vellem, ut ea quae dico mihi liceret invenire.

Quippe cum mihi in primis mirifice grata sit futura habitatio illa atque consuetudo, quandoquidem una cum Palamede futurus sim, et Aiace Telamonis filio, et aliis antiquorum qui circumventi iudicio decesserunt e vita; apud quos eos casus cum illorum casibus conferre utrinque, ut arbitror, non iniucundum foret. Illud praeterea maximum, illic degere perscrutantem singulos atque examinantem quemadmodum hic feci, quisnam illorum sapiens sit, et quis cum non sit se tamen existimet sapientem esse. Proinde quanti faciendum, o iudices, tentare summi regis qui maximas copias duxit ad Troiam prudentiam, et Ulyssis, Sisyphi, multorumque aliorum quos conferre

quis potest virorum et mulierum, quibus cum loqui atque examinando versari inaeſtimabilis prorsus felicitas eſſet? Siquidem huius cauſa qui illic degunt haud amplius moriuntur, ſúntque illi nobis et in rebus aliis beatiores, et in hoc inſuper, quod reliquum iam tempus permanent immortales, ſi quidem vera ſunt quae dicuntur.

Ne vos quidem, iudices, ii qui me abſoluistis, mortem timueritis; idque unum cogitare verum eſſe, viro videlicet bono nihil mali accidere poſſe nec vivo nec mortuo, nec unquam illius res a diis immortalibus negligi. Nec mihi ipſi hoc accidit fortuito, ſed mihi id conſtat mori iam et a laboribus liberari mihi melius extitiſſe; atque hanc ob cauſam divinum illud ſignum mihi non obſtitit. Nec vero iis a quibus accuſatus ſum, aut a quibus condemnatus, habeo quod ſuccenſeam: quamvis non hac mente accuſaverint me atque damnaverint, ſed quia mihi nocere ſe crediderunt. Ob hoc utique illis eſt ſuccenſendum. Sed iam ad eoſdem illos reverſus, ſic eos alloquor. Tantum tamen vos precor, o viri, ut meos quoque filios cum adoleverint, ſi ipſi ſimiliter atque ego vobis moleſti ſint, poenis ſimiliter afficiatis, praeſertim ſi videantur vobis vel pecuniarum vel alterius cuiuſquam rei maiorem quam virtutis curam habere; atque ſi videri velint puténtve ſe alicuius eſſe pretii, cum nullius ſint, illos obiugetis quemadmodum ego vos, quod non huius pretii ſint, ſe aliquid eſſe.

Quod ſi haec feceritis, iuſta a vobis et ipſe et filii mei accepero. Verum iam tempus eſt hinc abire, me quidem ut moriar, vos ut vitam agatis. Utrum autem ſit melius, dii immortales ſciunt: hominem quidem ſcire arbitror neminem.